

Franckesche Stiftungen zu Halle

Litteratvrae, Et Propositi Sanctioris Fastidia Probrosa refellendi, muniendique Verae, Et Salvтары Sapientiae vias, & instituta, vulgo explosa, ...

Vockerodt, Gottfried

[Gotha], 1723

VD18 1338905X

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-196980



* * *

Sicut Italiae hospes, litterator Graecus, olim, cum rectorum studiorum in Germania locum esse, & usum, VVurtembergici ducis legatus, Reuchlinus, Romae docuisset, *musae transuolarunt Alpes*, dixit admirabundus, & pene querulus: ita, vltra Rhenum commigrare litterariae rei elegantias, quarum arbitri Galli esse voluerunt, per musea disponendae antiquariae suppellectilis curam, ac rei numariae praesertim scientiam, non obscure indignantur, qui in Galliis descripta, & diiudicata civium nostrorum opera, & monumenta litteraria referunt in ephemerides. Malignum istum affectum dissimulare non potuit, qui negotium sibi dari passus est recensendae scriptionis, qua clarissimus Eyringius *PRINCIPIS* de patria non modo; sed & de re Christiana vniuersa, maxime scholastica, optime meriti, ERNESTI PII, vitam illustravit. Dignus visus hic ingenii foetus cordatis, & virtutis *PII PRINCIPIS* iustis aestimatoribus exteris, qui Gallice legeretur; nec defuit, qui Eyringianae scriptioni in eo sermonis genere operam adhiberet interpretem, effeceritque, vt vulgo notesceret, quousque Gallicana lingua est intelligibilis, quantus, & quam sapiens, & quam solers excolendae mentis, morisque auctor fuerit PIVS ERNESTVS? Sed longe aliter visum est librorum censoribus Parisiensibus, ephemeridum litterariorum autoribus. Displicet illis scribendi forma, & modus; nec placet memoratus in eo libello numus, quo a PIO patriae patre, ERNESTO superscite, tradita filio, *SERENISSIMO FRIDERICO*, rerum principali auctoritate administrandarum cura publicatur; idque ideo, quod non conueniat legibus eorum, quibus in Galliis academiae nomine numorum etiam curatius fabrefaciendorum ratio est commendata, nec antiquum prae se ferat, modum. Liuis ea est indoles, vt in sano corpore reduuias quaerat curandas. Quos reprehendendi libido adigit ad censuram intempestiuam, recta damnant, dum, rectiora fierine possint? fastidiosè circumspiciunt. Offensa ista natio Germanorum institutis salutaribus, & ad bonae mentis cultum, & solidae sapientiae decus pertinentibus, in horum autoribus non verentur quaerere, quod culpent, etiam si principibus, qui excusatiushallucinari vulgo creduntur, ab imperatoriis ad togatas, & pacis artes quoties curas conuertunt, & ex vtroque Caesares censerì gestiunt. Licuitne tantae dignitatis Germaniae proceribus Thuringis, Francis, & Misenis suis profiteri pium, & salutare studium numismate, & tantisper negligere in hoc fabrefaciendo vel leges academiae nouae, vel formam priscam, res a captu, & vsu populi remotas? Non rudes enim esse principes Germaniae elegantiarum, quas post Italos Galli suae solertiae deberi contendunt,

dunt, AVGVSTISSIMI capitis, CAROLI VI. exemplo satis constat. Neque enim incuriosus memoriae posteritatis esse poterat huius dudum conscius. Virtute, factis, institutis, & successibus aere perenniora laudis, & gloriae monumenta meritis non alienum ab imperatoriae dignitatis fastigio credit, providere, vt consentanea rebus fama rite prodatur exteris, posterisque, & ad hoc deligere praecones idoneos, qui in sacrandae memoria tantae maiestati conuenientis prisci decoris callerent, haberentque rationem. Talisne sit ILLVSTRIS, & GENEROSVS DOMINVS, CONRADVS ADOLPHVS AB ALBRECHT, luculenta eius loquuntur specimina, quae publicata sunt cum descripto ad AVGVSTAM IMPERATORIS historiam *numismate colligato* sub ipsa solennia, quibus INVICTISSIMVS CAROLVS VI. Praghae Boiohemiae quartum rex salutatur: quem tanquam ipsum aestimatorem, ac censorem operum huius generis in fronte *Herculem Musagetam, priscam monumentis maiestatem, nouum antiquis splendorem, antiquam nouis gratiam restituentem*, in calce *summum Oedipum* appellat. Certe, nisi liuor obstat, non desiderabunt in Germanorum monumentis exteri priscam venustatem. Dudum nec Thuringia nostra istarum elegantiarum expers fuit. Ornati principali dignitate procures Schvvarzburgici sicut cultioris litteraturae vniuersae dudum vsque adeo studiosissimi fuerunt, vt Sondershusana aula regiae scholae non esset dissimilis, vtpote ex qua litteratissimi iuuentutis principes profecti sunt, & qui ei regendae diu summa fide praefuit, EXCELLENTISSIMVS IMMANVEL VVEBER, inter summos Germaniae litteratores, & ICTos clarescat maxime, & exsplendescat inter Gieslensis academiae lumina: ita numariae rei non minus, quam eruditae antiquitatis vniuersae rationem habuerunt non perfunctorie. Arnstadiensium patriae pater, ILLVSTRISSIMVS ANTONIVS GVNTHERVS, cum prole careret, nec posset ILLVSTRISSIMI fratris exemplo erudiendis liberis de patria, & posteris bene mereri, conuertit operam, opesque ad bene merendum de re litteraria, eamque prouehendam ad decus exteris etiam inuicendum, ad colligendum, & quantiscunque impensis redimendum ex omnibus orbis terrarum partibus eruditae antiquitatis apparatus, NUMARIVM copiosissimum. Cui augendo, amplificandoque cum ita palam intentum se ostenderet, vt nullis parceret sumptibus, & inter summos procures in Lipsiensi mercatu congregatos, dum alias alii delicias sectabantur, numos ille veteres vndecunque allatos compararet, non defuerunt tantae cupidinis administri, qui in remotis orientis, occidentisque angulis, oculisque tales merces, passim propter incertitiam possessorum contemtas, conquirerent; & ad manus, oculosque eruditos tam copiose referrent, vt ILLVSTRISSIMO numarii conditori facilis, & opportunus esset numerorum melioris notae delectus. Accessit euocatus e

patria Heluetia, Andreas Morellius, Bernas, ad rem numariam inuestigandam
 pene natus, &, dum indoli opportunitas discendi non defuit, institutus a pue-
 ris feliciter, tunc edito Parisiis MDCLXXXIII. *specimine vniuersae rei numariae*
antiquae: quod Lipsiae auctius quinto ante seculi finem anno luci redditum est:
 iam tum clarus, tanto nouo post Ludouicum M. Galliarum regem, patrono;
 sed maiori, & iustiori ingenii, & studii Morelliani aestimatori, non pio minus
 proposito, quam solertia commendatissimus: utpote qui fideliter hic ex prom-
 fit opes ingenii, collectas, auctasque in patria, vsu, & consuetudine Caroli Pa-
 tini, tunc exulis, Vefontii Chifletii, apud quem Golzii, praecipui rei numariae
 arbitri, MSA specimina illi licuit inspicere, & Parisiis, vbi procerum, non mi-
 nus, quam regis vniuersa rei numariae supellex antiqua ei patuit inspicienda,
 & describenda. Ex editi speciminis limine intelligi potest, quomodo noua
 studiorum sedes placuerit Morellio, & quanti pretii visum fuerit ei numarium
 Schvvarzburgicum? Felicem hic se praedicat fruenter gratia patroni, priscis
 eruditae antiquitatis monumentis non oculos solum oblectantis; sed vim, &
 aenigmata, quae in iis traduntur, penetrantis: nec temere affirmat, Graecarum,
 & Romanarum opum reliquias in Schvvarzburgicis cimeliis, & oculis asylum
 reperisse. Quo loco ipse habitus sit pro opera, & fide administra, exitus a-
 peruit: secessus Arnstadiensis patriis laribus antefendus Morellio visus est, cui
 sub vmbra, & indulgentia ILLVSTRISSIMI heri potius visum est viuere, & mo-
 ri, quam in complexu suorum, & Heluetica gaudere libertate. Dignus Mo-
 rellio successor, opportunus tanto hero administer, commodusque numario prae-
 fectus incipiente hoc seculo dum quaeritur, inuentus est B. Christianus Schlegelius,
 traditusque cum ipso thesauro, per XII. ministerii annos egregie adornato, am-
 plicatoque, cui fato imminens ILLVSTRISSIMVS possessor vtrumque destina-
 uerat, SERENISSIMO videlicet PATRIAE PATRI nostro, tanquam non visus esset
 dignior successor, & fidelior, liberaliorque priscarum elegantiarum conseruator
 SERENISSIMO SAXONVM DECORE, FRIDERICO, nec aptior, commo-
 diorque locus, quam arx Fridensteinensis, vbi conquistae ex orbe terrarum
 opes eruditae, tot annorum labor, & tanti patrimonii fructus gloriosius spe-
 ctari, & vsurpari possint vtilius, maxime dum dudum in Gothana regia non
 defunt fabrefaciendorum ad prisca decoris modum numorum signorum, &
 tabularum artifices solertissimi, Caesareo priuilegio ornatus primus, & prae-
 cipuus autor aeris insigniendi, & comprehendendi clarorum hominum imagi-
 nes: vnde tanquam a potiori negotio protomistas recte appelles: clarissimus
 Christianus VVermuth, & ab eius disciplina profectus, nobilis artificio, & ope-
 re politissimo Kochius, praeter alibi laudatum *musci* principalis, praefectum
 DN. Schilbachium, non minus propter artificio, facultatemque pingendi, & ex-
 pri-

primendi ad viuum imagines, quam solertiam in noscenda, recteque disponenda suppellectile rara, & curiosa, admirandum. Intelligi, ni fallor, hinc potest, quo iure exteri Gothanis ad mentionem piorum, & salutarium institutorum exprobrant rus inficetum, & culpent principes, vulgantes imperii sui auspicia numismate, cuius pia, & religiosa inscriptio percipi possit a plebe obnoxia. Qui isto pacto pium propositum denunciauerat ciuibus, princeps domi, forisque ad elegantiam, & decus non minus, quam solidam sapientiam satis erat eruditus, confirmatusque peregrinando prouidentissime. Ista ratione muniendam esse sapientiae disciplinam, animaduertit dudum PIVS ERNESTVS: atque id eo inter victores belli Germanici duces, vbi iure militiae occupare posset, quod profligatus hostis reliquerat, concessit aliis diripienda, quae ad vsum militarem, & domesticum pertinerent; ipse, pacis artibus ornandis intentus, contempta vulgo, & a glorioso milite explosa arripuit, suppellectilem litteratam, & eruditae vetustatis monumenta, codices MS. artem, & ingenium prae se ferentia signa, & tabulas. Inde Fridensteinensem bibliothecam adhuc ornant, & exteris, praecipue eruditarum elegantiarum aestimatoribus, commendant Iacobi Stradae admiranda, in plures codices diuisa, monumenta picta, & plura alia MSA, quae summe reuerendus, & elegantioris non minus, quam sanctioris literaturae studiosissimus, ILLVSTRIS PROTOSYNEDRII consiliarius, Cyprianus, erudita commentatione exposuit. Ex quo enim patriae redditus pius princeps ex Grimmensteinii rudibus aptum sedi regiae domicilium, ab exoptatissima Germaniae pace appellatum, excitauerat, non destitit idem pacis ornare artium apparatu, & praeter memorata litterata spolia eo inferre, quantiscunque impensis redimendam a doctissimorum virorum haeredibus, omnis generis suppellectilem eruditam. Cui pio, & sapientissimo instituto dum SERENISSIMI posterum inhaerent, & bonae mentis cultum ad principales, & senatorias curas referunt, nulla illius adiumenta, instrumenta, praesidia, & ornamenta patiuntur desiderari, vt, qui vel discendi, vel visendi causa Gothae confluunt, exteri habeant, quo animum doctrina expleant, & oculos oblectent spectaculo non vano; nec, qui torpere nolint, ciues requirant, quod ad rectiora, & bonis viris digna studia prouocare, & reuocare potest a ludicris, & profanis. Nec temere accersunt ad illa excitanda, & colenda impensius externos virtutis opinione, & scientiae fama commendatos. Hac cum dudum florisset B. Christianus Schlegelius, non relinquendus visus est, cum insignis illa accessio fieret museo Fridensteinensi, & huic adderetur laudatum SCHVVARZBURGICVM NVMARIVM, cuius ille per plures annos fuerat praefectus. Suffragabantur bono viro nascendi conditio, indoles, studia iuuentutis, & publicata dudum,

litteratorumque applausu excepta ingenii, & scientiae rei numariae, vniuersaeque eruditae vetustatis disciplinae documenta plura. Extabant enim, antequam Gothae claresceret SECRETARII, ANTIQVARIJ, & HISTORICI SAXONICI nomine, & honore: quem SERENISSIMI SAXONIAE DVCES, non modo Gothanus, Memungensis, Hilperhusanus, & Salfeldensis; sed & Isenacensis clementissime illi tribuerunt: ab ingenio, & industria Schlegeliana profectae, publicataeque scriptiones: *historia vitae Georgii Spalatini, theologi, politici, primique historici Saxonici*, editae Ienae MDCCCIII. *de numis antiquis Altenburgensibus*, Dresdae MDCCCXVII, *de numis antiquis Salfeldensibus, Arnstadiensibus, & Ienensibus*, Dresdae MDCCCXVI; *vitae Superintendentium Dresdensium*, Dresdae MDCCCXVII, *de numis antiquis Gothanis, & Cygneis*, Ienae MDCCCII, *de numo comitis Blanckenburgensis*, Ienae MDCCCII, *de numis antiquis Isenacensibus, Mulbusinis, Nordbusanis, & Weissenfensibus*, Ienae MDCCCIII, *Biblia in nummis* MDCCCIII, *de cella veteri, Marchionum Misnensium conditorio*, Dresdae MDCCCIII, *epistola apologetica, qua ad obiectiones Tentzelianas respondetur*, Hamburgi MDCCCV. Constat inde, quid despondendum esset praefecturae Gothani numarii, quae mandaretur scriptionum talium auctori? quam dignus Morellio Schlegelius fuerit successor? quam opportunus futurus esset Gothanarum elegantiarum, & eruditarum antiquitatum arbiter? Certe expetendus, & vndecunque accersendus, vel instituendus fuisset ad tam multiplicem reconditarum rerum curam, qui nouo numario rite praefuturus erat, nisi ab ILLVSTRISSIMO possessore NOSTER esset commendatus, non temerato, par & aequum esse, in eadem luce, & celebritate versari antistitem, in quam thesaurus traderetur. Quemadmodum opinioni, & votis responderit, quam satisfecerit exteris non minus conuersis ad admirandam antistitis eruditionem, quam expositae suppellectilis contemplandas aetates, & pretia, accessus illorum frequentissimu satis ostendit? Accendere, & prouocare studia exterorum in palatinas illas delicias litterarias perrexit vulgandis eruditissimis ingenii monumentis, & moliendo opere dudum expectatissimo, quo praecipue illustraretur res numaria vetusta: quale Morellius dudum destinauerat gloriosius, quam propter aduersa fata potuit perficere: cui tot laboribus, & annis fessus NOSTER facile succubuit, cum suffecisset abunde ingenium, & apparatus dudum conquistus, & curatissime delectus. Aequae enim in deligenda, ac noscenda recondita suppellectile eruditae vetustatis spectatum NOSTRI ingenium, & industriam, publicatus docuit catalogus, quo per auctionem cumulata in numario Fridensteinienfi vnus numismatis exempla sunt venundata. Isti autem destinationi dum inhaeret, immoriturque, subcisiui tamen vigilatarum noctium fructus subinde prodeunt in lucem, ita poscentibus etiam temporum solennibus, nimirum

mirum

mirum de numis antiquis Gothanis, Cygneis, Coburgensibus, Vinariensibus
 & Merseburgensibus, Gothae c10 1000xvii. initia reformationis Coburgensis in
 vita Langeri, loco & anno eodem: Ebenezer, siue Lutherische Iubel-Müntze
 c10 1000xvii. Vindicatus Thuringiae comitibus numus Blanckenburgico comi-
 ti, Henrico, tributus c10 1000xx. epistolae Villigisanae, codici MStorum biblio-
 thecae Gothanae palatinae, a summe reuerendo Cypriano publicato, adiectae:
 nec non opus posthumum, apotelesma de numis Abbatum Hersfeldensium,
 editum c10 1000xxiii. cura viduae, matronae nobilissimae, & corporis, animi-
 que dotibus spectatissimae, Annae Margarethae Kerniae, filiae Philippi Ca-
 sparis, praefecturae Heilbornensis ab actis, & matre vnicae ornatissimae filiulae,
 Annae Magdalenae Schlegeliae, post Dorotheam Sophiam, VVestermanni, prae-
 fecturae Brunsvicensis ab actis, filiam ita aptae marito, vt dum ex alta specula
 huic ostendendum erat ingenii lumen, opesque, incuriosus esse posset domesti-
 cae, & familiaris rei, quam illa ita custodiendam, curandam, augendamque susce-
 pit, vt maritus vacare posset totus mandato operi dominico, & noctes etiam ce-
 lebrare Atticas, earumque partes lucubrando transigere. Sane post fata viri
 spectata est huius matronae pietas, sapientia, & prouidentia, quae filiae, &
 rei suae domesticae consulendo mirifice B. mariti famam amplificat, publicat-
 que singularis eius industriae vestigia recondita, dum litterariam suppellectilem
 raram, & selectissimam curatissime descriptam exhibuit venalem, & cum tot
 admiratoribus Schlegelianae scientiae, & virtutis, qui ad hunc mercatum ex re-
 motis locis confluerunt, communicauit, vt post fata insignita esset longe, late-
 que virtutis, & meritorum Schlegelianorum memoria. Vel hinc patuit, quan-
 tus litterator fuerit B. Schlegelius, & quam longiore vita fuerit dignissimus, non
 sine admiratione redemptis in codicibus recognoscentibus manu ipsius obscura
 loca illustrata, laborantia explanata, falsa refutata? Ad tam insignis virtutis ha-
 bitum, laudis decus, & ministerii commendationem vnde, & quomodo emerferit, non est dis-
 simulandum. Ortum suum notauit ipse in historico Eberi Kalendario: cuius exemplum puer,
 quod scriptura prodit, arripuit, vt in eo describeret, qui digni memoria ipsi viderentur, suos,
 suorumque casus, & fata. In cuius fronte ipsius haec verba leguntur: c10 1000xvi. IANVAR.
 XXX. horam circa sextam vespertinam natus ego sum CHRISTIANVS SCHLEGELIVS Salfel-
 diae Thuringorum, patre M. Ioanne Christiano Schlegelio, tunc temporis diacono Salfeldensium fi-
 delissimo, & Anna Maria, nata Heydenia. Det DEVS, vt id, quod mihi dabitur superesse in his terris
 vitae, in sola summi NVMINIS amplificanda gloria, meoque proximo iuuando consumam. Amen!
 Agnosceimus pueri, vel adolescentis admodum, votum religiosum, & pium in tenero pecto-
 re affectum, qui eum facile in rectiorum studiorum curriculum propulit, & in eodem ita
 detinuit, vt ad laboris litterarii, quo per omnem vitam distractus est, patientiam mature
 potuerit durari. Consentanea illi est vox, quam adscripsit rythmicae monitioni vnus com-
 patrum suorum, Andreae Launii, Salfeldensis praefecturae procuratoris hortantis sacro la-
 uacro initiatum ad Deum implorandum, & ab hoc expectanda auxilia, ornamenta, vitam
 longam, & beatam. Adscripsit NOSTER: det Deus, mentiri nescius, vt quod mihi tunc apprea-

tus fuit compater Launius, per omnem vitam experiar verum, & nunquam non mei baptismatis
 memor viam, moriarque. Pius hic, & religiosus affectus tam alte insedit animo adolescen-
 tis, vt dum tractu temporis rerum discendarum varietate, quarum capax erat tantum inge-
 nium, applausu etiam sollicitatum, pene obrui videbatur, ad sacra tamen meditanda refu-
 geret subinde: quod BIBLIA in numis non modo; sed alia produnt industriae eius speci-
 mina, conuersae in peruestiganda temporum historia ad sacras origines, & reuocatae a profa-
 no fastidio rerum religiosarum, solenni vinarum mentium offensione, quas assidua monu-
 mentorum veterum, ad pompam inuentorum, contemplario facile auferret ad vanitatem, &
 studia profana, vt inquinare se credant elegantioris litteraturae professionem, si ad sa-
 cra CHRISTIANA, & religiosa animum, stylumque referant. Meliores NOSTRO praeter
 indolem erectam sapiendi, & viuendi duces contingere domestici, scholasticique: pater propter
 pietatis, & doctrinae opinionem, famamque summis apud Salfeldenses, Coburgenses, &
 Zwickauenses ecclesiasticis praefecturis admotus: mater Anna Maria, orta Heydenorum
 stirpe, de cuius moribus Lipsiensis Professoris Felleri ad Gothofredum Heydenum, Beumwalden-
 sem pastorem, scriptum testimonium notauit in Iberiano suo Calendario NOSTER: *Sacra &
 tibi meta petita est, & patris, & patris exemplo, quem nuper aduentum tecum iure doles, nunc cor
 candentius omni: paedagogus, & primae aetatis custos, non ita pridem fatis functus, supre-
 mus Ienenium sacrorum antistes, Zullichius: in schola Salfeldensi, in quam decimo aetatis
 anno deductus est, M. Christianus Zeidlerus, de Isenacensium schola ad huius seculi an-
 num octauum bene meritis: in Gymnasio Coburgensi maximae celebritatis viri, Stempelius,
 Wolfingius, Clauderus, Schubartus, Saurbrey: in academia Ienensi, quam superioris secu-
 li anno LXXXIIX. ingressus est, praeter hospitem in quintum annum, Sagittarium, Schmi-
 dius, Dantzius, Schubartus, Weigelius, Bechmannus, Baierus, Velthemius: a quibus
 non sine specimine, quid ex virorum tantae virtutis, meritorumque scholis profecerit: edi-
 ta videlicet de Spalatino iuxta molis commentatione, discessit. Nec otiosa latere potuit eru-
 ditissimi, & solertissimi iuuenis virtus, & industria. Ornatum nomine, & honore magistri
 ad praestandam operam magistratam solertissime, & felicissime institutus septimo ante finem
 superioris seculi anno Dresda excipit, vbi in Lichtweriana, Schmidiana, & Fritschiana fami-
 lia alumnos inuenit dociles, efficitque magisterio suo doctos, atque aptos, & habiles ad ho-
 norata, quae paullo post ornarunt, ministeria. Ex hoc secessu dum ILLVSTRISSIMVS
 comes SCHWARZBURGICVS hoc incipiente seculo ad se vocat, doctos docet arcana do-
 minica, & doctissimi heri sui reconditae sapientiae amoenitates. Inde Gotham concessus
 serio instituit docere posteritatem, docuitque, si haec grata fuerit, & iustum pretium statue-
 rit eruditissimis eius ingenii monumentis, nec defuerit, qui distractis conducendis, & iusto
 volumine posteris exhibendis suppeditare voluerit sumtus, operamque. Cuius ne pigeat, ob-
 stabit crescens occulto, velut arbor, aeuo fama Schlegelii. Salomoni nostro, SERENISSIMO
 patriae PATRI, FRIDERICO inter natalis lucis, piis ominibus a bonis ciuibus merito profe-
 quendae, solennia merito gratulamur, quod, sicut Mosi Bezaleel in adornando diuini cultus
 apparatu; Davidis filio, Salomoni, a Tyriorum rege Hiram concessus Huram ad templum
 cum omni sacra supellestile fabrefaciendum contingere: ita ad muniendam auitae pietatis,
 & sapientiae disciplinam non desit Schlegelius, ad ornandam palatinam bibliothecam, mu-
 seum, & numarium praesto sint idonei administri. Quam felicitatem patriae publice co-
 ram ILLVSTRIS panegyri praedicare, precarique eius perpetuitatem, vt
 liceat, submississime ILLVSTRIS Gymnasii nomine
 rogo, quaesoque.*

✽ (* * *) ✽